



Crisis Theologica

In Qva Selectiores, Et Acriores hujus, et elapsi sæculi controversiæ,
subsecuturâ in Elencho legendæ discutiuntur

Crisis Theologica - In Qva Selectiores, Et Acriores hujus, et elapsi sæculi
controversiæ, subsecuturâ in Elencho legendæ discutiuntur

Casnedi, Carlo Antonio

Ulyssipone, 1712

§. II. Qualiter Deipara imminente Filij sui Partu, & Passione se geßerit?

[urn:nbn:de:hbz:466:1-84796](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-84796)

certum; ergo ad summum fuit unice probabile; ergo probabilitas non est via ad perditionem. Addo sibi contradicere, si enim contra P. Terillum dicit, exemplum non esse ad rem, quia Deipara, non probabiliter, sed probabilius putavit Filium esse inter notos, quomodo probabilitatem vocat viam perditionis? quod si ita est, amabo ut dicat mihi, an hoc sit pium, vel potius impium somnare de Deipara; & sic habet, quod

P. Terill.

Palanc.

N.

38.

Palanc.

Tertio ex alio quoque titulo idem Deipara exemplum stat contra Palancum, quatenus simpliciter rejicit judicium reflexum supra directum; & tamen nisi velimus, quod Deipara materialiter errarit eo judicio directo sibi unice probabili, *Filius meus est in comitatu*, non potest aliter defendi Marianæ mentis ab omni materiali errore immunitas, nisi dicendo, quod suspenderit illud judicium directum, *Filius meus est in comitatu*, nam erat falsum, & unice appellavit ad hoc reflexum: *Est mihi evidenter probabilius, aut unice probabile, quod Filius meus sit in comitatu*: quo judicio reflexo evidenti de probabilitate Deipara directa fuit ad honestam Filij inter cognatos questionem: ergo si Deipara exemplum non est ad rem pro questione, quam tunc tractat P. Terillus; attamen summe ad rem est pro nostra conclusione, quâ dicimus, necessarium non esse judicium directum de veritate rei, ut honestè operemur, sed satis esse reflexum evidens, saltem de probabilitate; quæ tamen omnia Palanco inficiatur.

P. Terill.

Palanc.

§. II.

Qualiter Deipara imminente Filij sui Partu, & Passione se gesserit?

SUMMARIUM.

Doctores obligantes ad judicium semper directum, n. 39.

P. Suar. ait, certam esse sententiam, immò oppositam pias aures offendere, quod Deipara nunquam errarit materialiter, n. 41.

Ejusdem rationes, n. 42.

Qualiter P. Suar. solvat objectionem, quod Patres existimarent Filium esse in comitatu, n. 43.

P. Suar. asserit, tum quod judicium de probabilitate sit satis, tum quod Deipara conceperit reflexum de probabilitate. Virumque nos tuemur, illud necesse ut prudenter, hoc ut

prudenter operemur, quo modo Deipara operata fuit, ibid.

Obligare, ut directum semper seramus de incerta judicium, est obligare, ut erramus, & ne eam summam prudentiam operemur, n. 44.

Deipara, Beati, & viri, quo prudentiores sunt, & perfectio dominio gaudent, eo frequentius solo reflexo contenti sunt, n. 45. 46. 47.

Judicium de objectivâ, est minori probabilitate debet esse certum, ibid.

Longè minus errari potest circa probabilitatem, quàm circa probabilitatem, aut veritatem. Cur? n. 48.

Plures actus virtutis operata est Deipara tempore passionis, directa a solo judicio reflexo, n. 49. 50. 51. 52.

Satis ut prudenter, etsi non prudentius operemur, solum reflexum de minori probabilitate, confuso reflexo de maiori, n. 53.

TAndem, quidquid sit, an exemplum à N. P. Terillo propositum sit satis ad suum prorem; hoc scio fortè non probare, prout ab illo trahitur, nostrum præfens intentum. Dicit enim potest, quod quamvis argumentum ex Deipara exemplo rectè probet satis esse probabilitatem subjectivam, attamen non probat satis esse probabilitatem objectivam, de quâ nunc disputamus. Quare idem Deipara exemplum, quod P. Terillus trahit, ut probet sufficientiam probabilitatis subjectivæ, ego illud idem traho, ut probem satis esse objectivam probabilitatem; & quidem puto argumentum esse profus insolubile ab illis Probabilioristis, qui negant satis esse ad honestè formaliter operandum, judicium evidens reflexum, non tantum de æquali, aut minori, sed nec de maiori objectivâ probabilitate. Hi autem sunt valde pauci; nempe P. Eliz. P. D. Thyr. P. Eliz. P. D. Munief. Candidus, & Palanco; nam reliqui Probabilioristæ in hoc nobiscum sentiunt, quod necesse non sit semper judicium directum de veritate; sed satis esse reflexum de objectivâ probabilitate: etsi à nobis in hoc alio dissentiant, quod velint requiri saltem judicium evidens de maiori; non autem satis esse de minori, aut æquali objectivâ probabilitate; eo modo, quo ad rectè operandum, juxta illos, non satis est judicium subjectivæ requæ, aut minus probabile, sed necessarium est judicium subjectivè probabilius de veritate materialis objecti; per nos autem satis est judicium directum subjectivæ æquæ, aut minus, certò tamen practicè probabile.

Ut ergo oculis pateat contra P. Eliz. Candidum, P. Munief. Palancum quæ. 5. n. 136. Palanco P. D.

p. Thyrs. P. D. Thyrsium *diff. 8. cap. 2. & diff. 9.* docentes necessario semper praequiri iudicium directum de materiali veritate rei, & de materiali honestate objecti, & actus ponendi, antequam adhæreamus opinioni minus tutæ, nec satis esse iudicium reflexum, etsi de probabilitate objectivâ veritatis opinionis, & honestatis actus, & objecti; adeo ut modus dirigendi conscientias, & resolvendi casus per solam opinionum probabilitatem, præcindo, an sit vera, vel falsa opinio, quam quis sequitur, sit contra D. Thomam: ut, inquam, oculis pateat non esse semper necessarium iudicium directum subjectivè probabile, aut probabilius de veritate opinionis, & de materiali honestate actus, & objecti, sed satis esse evidens reflexum de objectivâ probabilitate veritatis materialis opinionis, & materialis honestatis objecti, & actus: (dixi, de objectivâ probabilitate, five sit maior, five æqualis, five minor perinde mihi est in præsentia, nam unicè contra relatos Probabilioristas impugno necessitatem iudicii directi subjectivè probabilioris, five deinde hoc suspensio requiratur reflexum evidens de objectivâ maiori, five satis sit de æquali, aut minori probabilitate) ut, inquam, confitet non esse necessarium ullum in rebus incertis iudicium directum, quomodocumque subjectivè probabile, de veritate opinionis, & honestatis actus, & objecti ab ea assertæ, sed satis esse iudicium reflexum evidens, quod probabile, aut probabilius sit opinionem practicam esse in re veram, & dari in re honestam ab ea in actu, & objecto assertam, transcribam copiosius, quod Eximius Doctor de Deipara in statu vig sciendi, & sapientiæ, scholasticè disputans scitè tradit.

N. Igitur *rom. 2. in 3. p. diff. 19. sect. 6.* quarritan in Deiparâ fuerit aliqua ignorantia, five positiva, id est error, five negativa, id est carentia scientiæ debitæ ejus statui? Et quidem loquendo de errore, quem vocat ignorantiam praviæ dispositionis, ait: *In intellectu Beatissime Virginis numquam fuit error, nec ignorantia praviæ dispositionis. Hæc conclusio apud me est certa, & contraria pias aures offendere videtur, eamque supponere videntur omnes Authores, qui tribuunt Virgini bonum iustitiæ originalis ab initio sanctificationis sue: expresse vero id docuit D. Barthol. de Medina.*

M. Med. N. Probat autem 1. quia Deiparæ communicata fuit omnis perfectio status innocentiae; (ijs exceptis, quæ corpori passibili, & mortali repugnant) hoc enim decebat ejus dignitatem: sed error dedecet perfectionem status innocentiae; ergo dedecet Deiparam. Se-

cundò, quia error est poena peccati: ergo cum Deipara nullam contraxerit culpam, ita neque hanc poenam, præsertim cum error indecentiam, & spirituales imperfectiones contineat. Tertio, quia Deipara habuit plenum dominium suarum potentiarum, & summam prudentiam absque ullo inordinato motu; ergo poterat facile numquam definitè judicare de rebus incertis, sed vel suspendere iudicium, (ponderet Lector hæc verba, necnon sequentia) vel judicare hoc esse probabile, (non dicit probabilius) aut verosimile, vel apparens, aut aliquid hujusmodi. Hæc enim existimatio sufficit ad operandum prudenter: (ecce iudicium de objectivâ probabilitate sufficit ad operandum prudenter, etsi non prudentius) & qui non vult se exponere periculo errandi, (ecce quam opposito modo P. Suar. procedat, nam ut prudenter operemur, docet satis esse, ut iudicem hoc esse probabile; immò, quod ferè numquam definitè judicare de rebus incertis, sit summa prudentia. At Probabilioristæ, contra quos certamus, obligant ad definitum iudicium in omni re incertâ semper formandum, quoties operandum est; quod non est nisi obligare, ut trahamus caput erroribus plenum) si perfectò dominetur suis actibus, cum hac moderatione judicat, adeo ut ipsi etiam Beati de his rebus, quas certo non norunt, non aliter iudicium ferant, nisi Divinâ revelatione instruantur, quos in hac perfectione imitatum esse B. Virginem credibile est, cum & facile potuerit, & melius, & perfectius hoc scire.

Deinde ut objectionem solvat, quomodo N. Deipara ab errore immunis fuerit, cum Luc. 43. dicatur, *Existimantes illum esse in comitatu*: ergo Deipara erravit credendo Filium esse in comitatu. Respondet 1. P. Suar. ea verba per Synecdochem intelligi posse, quatenus Evangelista numerum pluralem ponit pro singulari, dicendo Parentes putasse illum esse in comitatu, quia S. Joseph ita existimavit, non autem Deipara. Reverà tamen huic responsioni non adhæret, quia Patres exponunt historiam, ut sonat, & sentiunt Deiparam ignorasse, ubi Filius lateret: & ita subdit ea verba exponi posse, quod Christi D. Parentes existimarent eum esse in comitatu, non simpliciter judicando ita esse, iudicio falso, & erroneo; sed solùm judicando id accidere potuisse: & ex signis, & circumstantijs occurrentibus, id fuisse verosimilius; quod iudicium verum erat, & sufficiens ad illa omnia, quæ ab Evangelistâ narrantur. Hæc P. Suar. Ecce asserit, tum quod iudicium de probabilitate satis sit ad prudenter operandum: tum quod Deipara conceperit iudicium de probabilitate, quod utrumque

nos docemus; quia Deipara non tantum prudenter, sed prudentius operata est, & ideo concepit iudicium non de sola objectivâ probabilitate, quod satis est ad prudenter operandum, sed de objectivâ probabilitate, quod necesse est ad prudentius operandum.

N.
44.

His positis, ita arguo: Omnis qui nullo inordinato motu rapitur, quin pleno suarum potentialium dominio, summâque prudentiâ gaudet, numquam definit de re sibi incertâ iudicat: ergo ab opposito, omnis, qui definit de re sibi incertâ iudicat, necesse est, ut aliquo inordinato motu rapiatur, & non gaudeat pleno suarum potentialium dominio, nec summâ prudentiâ: ergo velle, immò obligare, ut in rebus incertis (qualia sunt omnia, quæ nostro iudicio, probabiliori, probabiliori, aut moraliter certo subjacent) definit de illis iudicemus, est velle, immò obligare, ne cum summâ prudentiâ iudicemus, & ne nostris potentijs plenè dominemur, & ut inordinatis animi motibus rapiamur: ergo tantum abest, ut iudicium directum subjectivè moraliter certum, aut probabilius de veritate materiali opinionis minus tute, & de materiali objecti, & actus honestate, ab eâ assertæ, necessarium sit, antequam juxta eam opinionem operemur; & quod modus reflexus dirigendi conscientias, & resolvendi casus per certam objectivam probabilitatem, aut probabilitatem veritatis opinionis, præcindendo, an opinio, de quâ tractatur, aut quam quis sequitur, sit vera, an falsa, sit contra S. Thomam, quin est juxta summè perfectum modum, quo Deipara, & Beati in rebus incertis se gerunt, & operantur; & est juxta supremum exquisitæ prudentiæ fastigium.

N.
45.

Etenim Deipara, & Beati, & viri perfectiores, quia pleno suarum potentialium dominio potiuntur, numquam definit iudicant de rebus sibi non evidentibus, etsi sibi moraliter certis, aut probabilioribus, ne se errandi periculo exponant. Ita Deipara non iudicavit definitè, *Filius est in comitatu*, quâvis sibi probabilius foret ibi esse; immò si ita iudicasset, errasset materialiter; sed suspensio eo iudicio directo, concepit reflexum evidens, & verum, *Probabilius mihi est Filium esse in comitatu*; & ab hoc solo iudicio reflexo evidenti de probabilitate, regulata, & directa fuit ad summè honestam Filij in comitatu questionem: ergo ne quis formaliter peccet, immò ut quis formaliter honestissime operetur, nullum prorsus est necessarium iudicium directum subjectivè probabile, probabilius, aut moraliter certum

de veritate objecti incerti, seu inevidentis: ex. gr. ut quis licet die festo pingat, non est necessarium hoc iudicium directum, etsi subjectivè probabilius, aut moraliter certum, *Licet pingere die festo*; sed eo suspensio, satis est solum iudicium reflexum evidens de objectivâ probabilitate, aut probabilitate, licentiæ pingendi die festo: ex. gr. probabilius, aut probabile mihi est, quod licet die festo pictura: quod iudicium reflexum est evidenter verum, & me dirigit immediate ad honestam volitionem pingendi die festo; eo modo, quo Deipara a iudicio reflexo de probabilitate Filij inter notos directâ fuit ad summè honestam Filij inter notos questionem.

Confirmo 1. ex laudatâ Ex. Doctrinâ do. N. étrina. Existimatio fundata in certâ probabilitate, aut probabilitate sufficit ad prudenter operandum; & qui non vult exponere se periculo errandi, si perfectè suis actibus dominetur, cum hac moderatione iudicat: ergo obligare, ne quis opinionem sequatur, nisi eam iudicet veram, & ad firmandum semper iudicium directum de honestate, aut non honestate rei, nec evidenter honeste, nec evidenter inhoneste, est obligare, ut quis apertis oculis, & scienter exponat se periculo errandi, & ut quis non iudicet cum moderatione: ergo ne quis se exponat periculo errandi, si perfectè suis actibus dominatur, debet cum hac moderatione iudicare; id est, suspendere semper debet omne directum circa rem non evidentem iudicium, quia etsi probabilius, immò moraliter certum, potest esse in re falsum; & unicè formare debet reflexum, vel de probabilitate, vel de probabilitate objectivâ honestatis actus, & objecti. Dico, vel de probabilitate; hoc enim evidenter evincit ratio Patris Suar. nam errandi periculum est in iudicio directo; ergo si hæc duo extrema ponderentur; num melius sit formare iudicium directum subjectivè probabilius de objecto incerto; an melius sit illud iudicium directum suspendere, & unicè formare iudicium reflexum evidens, non de maiori, sed de minori probabilitate materialis honestatis incertæ; longè prudentius est, unicè formare iudicium reflexum de probabilitate objectivâ, etsi minori, honestatis materialis incertæ; & reflexè illi soli certæ probabilitati, etsi minori, assentiri; quàm formare iudicium directum, etsi subjectivè probabilius, de incertâ honestate materiali actus, & objecti, & huic directè assentiri.

Ratio est evidens; quia reflexè assentientia do soli probabilitati objectivæ, etsi minori, non

non habeo, nisi iudicium certum, & evidenter verum, nam, ut suppono, ipsa probabilitas objectiva, etsi minor, est mihi certa, & evidens; assentiendo autem directè ipsi objecto proposito mihi probabilius ut honesto, non habeo nisi iudicium subiectivè probabilius, adeoque semper incertum, & sæpe erroneum; immò semper me expono periculo errandi materialiter, quamvis ex graviore fundamento; nam quodlibet iudicium, etsi probabilius, aut moraliter certum, potest esse in re falsum: ergo nostra sententia negans necessarium esse, ut quis directè assentiatur ipsi incertæ honestati objecti, ad hoc ut honestè operetur; & affirmans satis esse, ut quis reflexè assentiatur ipsi evidenti, & certè probabilitati objectivæ, etsi minori, honestatis actus, & objecti, ad hoc ut quis honestè operetur, liberat ut plurimum a periculo erroris, & satis est ad prudenter operandum; immò nisi quis velit voluntarie errare, debet cum hac moderatione iudicare: ergo bene P. Terillus ex Deiparæ exemplo, & multò magis additis rationibus, quas ex P. Suar. ponderavimus, intulit licitum sequi non tantum opinionem magis, sed etiam minus probabilem. Qui enim assentitur probabilitati objectivæ, etsi minori, vix unquam errat, nam volumus, quòd ea minor probabilitas objectiva esse debeat certa, & evidens, ut quis iuxta eam opere-

N.
43.

tur. Dixi, vix numquam errasse; nam probabilitas est longè notior, quàm veritas, immò ex eà hanc inferimus; atque adeo licet aliquando accidat, ut aliqua opinio putata certò probabilis, non sit probabilis, (si tamen hoc est possibile, ut servatis iisdem circumstantiis de probabili, fiat non probabilis) & sic erremus materialiter circa probabilitatem, sive maiorem, sive minorem; attamen longè minus erramus circa probabilitatem minorem, quàm circa maiorem; nam magis certa solet esse probabilitas, quàm probabilitioritas; & quoties probabilitioritas est certa, toties probabilitas est certa, præcindendo, an sit maior, vel minor: & longè minus erramus circa probabilitatem, sive sit maior, sive æqualis, sive minor, quàm circa veritatem; quot enim, & quanta nobis sunt certò probabilia, quæ tamen nobis non sunt certò vera? Ergo omnibus pensatis, qui prudenter iudicare vult, & non se exponere periculo errandi, & perfectissimum Deiparæ in objectis sibi non evidentibus iudicandi, & operandi modum assequi, debet suspendere omne iudicium directum, etsi subiectivè probabilius, circa licentiam, aut

non licentiam actus, & objecti; quoties neutra pars est evidens; & debet unice reflexum formare iudicium evidens de probabilitate, aut probabilitate licentiæ actus, & objecti, & sub hoc solo certo iudicio reflexo dirigi ad honestè operandum; immò adhuc perfectius operaturus erit, si præcindat ab eo, quòd ea probabilitas licentiæ sit maior, æqualis, aut minor: in tali enim iudicio reflexo præcisivo nullum est erroris periculum, cum probabilitas tunc sit certa; potest autem non esse adeo certa probabilitioritas, nam plura necessaria sunt, ut aliquid sit certò probabilius, quàm ut sit certò probabile præcisivè: & sub tali, & à tali iudicio certo, & evidenter vero de probabilitate (& præcindente an sit maior, æqualis, aut minor) honestatis actus, & objecti, dirigi potest ad honestè operandum.

Confirmo 2. Non tantum certum est, quòd pueri Jesu inter notos, ubi non erat, inquisitio fuerit respectu Deiparæ honestissima, sed etiam, quòd lacrymæ, dolor, & Materna compassio, & omnia, quæ talis Mater tali Filio exhibuit, fuerint honestissima; sed plura ex illis operata est Deipara sub solo iudicio reflexo supra probabilitatem, sive maiorem, sive minorem, veritatis ab hoc, vel illo testatæ, præcindendo à veritate rei testatæ: ergo, ut nos quoque honestè operemur, satis erit reflexum supra probabilitatem, aut probabilitioritatem, sive intrinsecam, sive extrinsecam, iudicium, præcindendo à veritate rei, ut est in se, & ab honestate, ut est in se, assertà à tali intrinsecà, vel authenticà probabilitate, aut probabilitioritate. Maior est evidens: consequentia est sana: Si enim Deiparæ, ut honestissime operaretur, satis fuit solum reflexum supra veritatis probabilitioritatem iudicium, suspensio omni directo, etsi probabiliore, circa veritatem, ut est in se; multò magis hoc ipsum nobis, qui respectu Deiparæ vix aliquid sumus, satis erit.

Minor probatur; quia nemo dubitare potest plurima falsa, quasi in re vera, narrata fuisse Deiparæ; ex. gr. dum pro partu imminente hospitium sollicitabat, plures cum veritate, plures cum falsitate, dicere potuerunt Deiparæ, non esse locum in hoc aut illo diversorio; respondere autem, quòd Deipara omnibus, aut aliquibus, aut nulli crediderit, non est nisi dicere, vel quòd materialiter errarit, vel quòd certò noverit, qui in re verum, qui in re falsum loquerentur, vel quòd duobus contradicentibus assensum fuerit: ergo dicendum, quòd Deipara suspende-

N.
49.

N.
50.

suspenderit tum hoc iudicium directum, *Non est locus in diversorio*, ne se exponeret periculo errandi; & quod reflexum de probabilitate, quod in tali domo esset, quod in tali non esset locus, iudicium assumpserit. Ecce Deipara ab hoc iudicio evidenti reflexo supra probabilitatem, aut probabilitatem veritatis, *Non est locus in diversorio*, dirigebatur ad ulteriorem honestam diligentiam comparandi sibi alium locum: ergo ut Deipara honeste operaretur, satis ei fuit iudicium evidens reflexum de probabilitate, aut probabilitate dictę veritatis materialis, *Non est locus in hoc diversorio*; nec necesse fuit, ut ei propositioni assentiretur directe.

N. 51. Similiter ex probabilitate, aut probabilitate eius veritatis, *Non est locus in diversorio*, dirigebatur ad honestam omissionem ulterioris instantię, ad quam alias Materna erga Filium pietas urgebat, ut in illud diversorium colligere se posset; & ad honestam ulterioris instantię omissionem directa fuit ab hoc iudicio reflexo, *Probabilis mihi est, vel non esse locum in tali diversorio; vel si est, hospitem mihi illum negaturum*. Quod si dicamus Deiparam ex signis, & conjecturis, & ex inurbano cauponis cum pauperibus modo iudicasse, ut poruit, *Probabilis mihi est locum esse in tali diversorio, etsi campo hoc neget*, ab hoc iudicio reflexo evidenti directa fuit Deipara, tum ad honestam lacrymarum profusionem, tum ad teneram Filii nascituri compassionem, tum ad iterandas prout potuit instantias, suspensio semper hoc iudicio directo, etsi probabiliori, quia incerto, *Est locus in hoc diversorio*.

N. 52. Denum plura omitta facio, & hos Neotericos rogo, ut mecum amaram Christi D. Passionem recolant. Nemo dubitabit, narratum saepe fuisse Deiparę aliquid falsum, sive quoad numerum, ex. gr. ejus Filium centenis mille flagris, aut mille tantum, barbarę exceptum fuisse; vel quoad locum, ex. gr. ejus Filium per tales vicos ad Calvarium deducendum; vel quoad qualitatem, ex. gr. occultando verum tormenti genus, pro more mulierum, ne Deiparam ulterius exacerbarent, aut more plebis Judaice addendo novam poenarum speciem, ut eò amplius Deiparam cruciarent. Nemo, inquam, dubitabit, hæc, & alia similia, ut in dies videre est, quoties famosus Reus inusitata morti destinatur, narrata fuisse Deiparę; eamque, ne materialiter erraret, suspensisse semper omne directum de objecto sibi non evidenti iudicium, & ad sola reflexa evidentia, cadentia supra rei assertę probabilitatem appellasse, & ab his directam fuisse ad ubiores

lacrymas, & ad teneriorem compassionem si reflexę iudicavit, Probabilis mihi est Filium meum tot ictibus exceptum; vel ad minorem, Probabilis mihi est, non esse tot ictibus exceptum: ergo si Deipara, quam Deus in omnis prudentia, & honestatis Prototypo mortalibus proposuit, ne se ullo erroris materialis periculo exponeret circa ea sibi incerta, quę de amantissimo Filio suo narrabantur, etsi una sibi viderentur probabiliora, alia æquę, aut minus probabilis, si inquam, Deipara suspendebat semper iudicia directa, & ad reflexa sibi evidentia appellabat, & ab his ad honestissimas operationes, tempori, loco, & circumstantiis proportionatas dirigebatur; cur nobis, qui tantum a Deipara distamus, ut honeste, & prudenter operemur, satis quoque non erit solum ipsum iudicium evidens reflexum de probabilitate materialis veritatis, & honestatis objecti, & actus, suspensio semper omni in re incertā iudicio directo de materiali honestate, & veritate objecti, & actus?

Immo, cur satis non erit, saltem ut prudenter, & honeste, si non ut prudentius, & honestius, operemur, ipsum solum iudicium reflexum certum de probabilitate veritatis, & honestatis materialis, præcendendo, an probabilitas sit maior, æqualis, aut minor, quinimmo ipsum solum reflexum certum de minori probabilitate honestatis, & veritatis iudicium? Etenim omne directum de re inevidenti iudicium, etsi sit moraliter certum, aut probabilis de veritate, & honestate materiali, potest semper esse falsum, & est logicę incertum quoad veritatem, ut est in re: e contra nullum reflexum, etsi de minori probabilitate veritatis, & honestatis iudicium, quia suppono certum, & evidens esse, potest esse falsum: ergo longe melius est solum reflexum evidens de minori probabilitate honestatis concipere iudicium, & sub eo operari, quatenus est certum, & evidens de minori probabilitate, nec in eo potest esse error, quā obligare homines, ut ante omnem operationem concipiant semper iudicium directum, etsi moraliter certum, aut probabilis de honestate, aut inonestate, quod semper est logicę incertum, & semper erroris periculo subiectum, & sæpe erroneum; hoc enim est obligare homines, ut scienter errent, cum sciant, quod omne iudicium moraliter certum, aut probabilis, sit errori obnoxium.

SECTIO III.

Secunda ratio, ex Angelis, ex Beatis,
ex Adamo.

§. I.

Modus, quo Angeli in statu vie circa objecta sibi non evidentia judicaverunt, & operati sunt.

SUMMARIUM.

Doctores tuentes voluntatem peccare non posse absque prævio in intellectu defectu, n. 54.

DD. negantes, ibid.
Mens P. Suar. n. 55.

Ait omnes docere, quod nullus in Angelis ante peccatum præcesserit error speculativus, n. 56.

Ait Angelos ante peccatum facile potuisse vitare omnem errorem circa contingentia, suspendendo omne iudicium directum, & appellando ad solum reflexum de probabilitate, n. 57. 58. 59.

Suspendere in incertis iudicium directum, & soli fidere reflexo de probabilitate, sapit modum operandi Angelorum ante peccatum, n. 60. 61.

Lex de ferendo iudicio directo circa rem incertam supponit peccatum, & est omnino imperfecta, n. 62. 63. 64.

Nulla datur lex obligans operari minus prudenter, n. 65.

Offendo ad hominem contra Probabilioristas repugnare, ut operemur sub iudicio directo probabiliori, n. 66.

Si alterutra lex esset necessaria, an vetans sub solo reflexo operari, an vetans sub solo directo operari, standum esset pro lege vetante sub solo directo operari. Cur? n. 67.

Neutra tamen datur, ibid.

Offendo qualiter Angeli in statu vie ante peccatum, circa contingentia facile patuerint non errare, & honeste operari, n. 69. 70.

6. & alij; alteram, quæ negat necessarium aliquem prævium in intellectu defectum; & citat Henricum, Scotum in 2. dist. 6. qu. 1. Gabriel. Ocham. P. Val. tom. 2. disp. 6. qu. 8. qu. 1. & 2. & tom. 1. disp. 4. qu. 14. qu. 3. P. Molinam 1 p. qu. 63. art. 3. membr. 5. qui trahit Divinam Scripturam, Divum Aug. & Aristotelem.

Ut autem scientificè, & methodicè procedat, agit prius P. Suar. cap. 4. & 5. de defectu speculativo; & cap. 6. de practico. Defectus speculativus est defectus intellectus speculativi; practicus est defectus intellectus practici. Porro cap. 4. n. 8. asserit, quod ad peccatum nullus requiratur defectus speculativus, seu quod nullus in intellectu speculativo defectus debeat necessariò precedere peccatum. Probat; quia prima ratio culpæ non est ipsa ignorantia, etsi supponatur, quod culpabilis sit; sed est voluntas eam temerè admittens, & cum ea operans.

Deinde n. 9. ait, omnes pro certo habere, N. quod nullus in Angelis ante peccatum præcesserit, immò nec precedere potuerit error speculativus, seu cognitio difformis rei cognitæ: & quidem loquendo de objectis necessarijs, quod Angeli sive in purâ naturâ, sive in statu gratiæ errare circa ea non potuerint, vel saltem vitare potuerint omnem errorem, immò nec in eum cadere potuerint, nisi ex aliquâ culpâ, patet; quia de objectis necessarijs, tam naturalibus, quam moralibus, Angeli habent evidentem cognitionem; ergo circa ea sunt ab omni errore exempti.

Loquendo autem de objectis contingentibus, vel de secretis cordium, vel de rebus supernaturalibus, etsi aliqua difficultas sit, quatenus Angeli ante peccatum non habuerunt evidentiam de illis, adeoque videantur potuisse circa ea errare, nam solis conjecturis nitebantur; ergo videtur quod circa contingentia futura, & cordium secreta decipi potuerint.

Attamen cap. 4. n. 11. ait: Nihilominus asserendum etiam est in his materijs, non solum potuisse Angelum facile omnem errorem ante peccatum cavere, sed etiam non potuisse in eis decipi sine aliquo peccato, ita ut deceptio ad peccatum potius sequeretur, quàm antecederet. Declaratur in primis de futuris contingentibus, & occultis cordium. Quia in his facile est Angelis circa cordium cogitationes, vel contingentia futura non errare; quia possunt (intendat Lector) non ferre definitum iudicium de re ipsâ, sed tantum de apparentiâ, vel probabilitate, in quâ non possunt errare, quia cum eviden-

N. Pater Suar. lib. 7. de Angelis cap. 4. querit, utrum in intellectu Angelico ante peccatum præcedere potuerit defectus? Ait autem hoc dubium decidi non posse, nisi prius in generali decidatur, an necesse sit, ut ante omne peccatum præcedat prius aliquis error in intellectu; error, inquit, voluntarius, seu qui vitari possit, assumendo cognitionem ei errori oppositam, quâ assumptâ vitaretur peccatum? Duplicem autem trahit sententiam; unam, quæ affirmat voluntatem peccare non posse absque prævio in intellectu defectu; & pro hac stat S. Thom. 1. p. qu. 63. art. 3. ad 4. & art. 5. & 1. 2. qu. 77. art. 2. Caiet ibid. Ferrarien. contra Durand. Gentes lib. 3. cap. 110. Alenf. Capreol. Scot. Durand. P. Vasqu. 1. 2. disp. 128. cap. 5. &